

tatem) reduci possint. Similiter & nullus naturalium mysteriorum Scrutator istam Lapidis Philosophici Materiam in Sale, alumine, & id genus rebus aliis quærere conabitur: In illis siquidem nihil aliud, quam acrem, corrosivum, destruentemque spiritum, nullum vero Mercurium & Sulphur reperiet, prout à Philosophis requiruntur.

Ex istiusmodi, præterea, rebus nullum medium Minerale, utpote Magnesia, Marcasita, Antimonium, &c. multo minus Metallum fieri potest: quomodo igitur aliquis Philosophici Lapidis Materiam exinde desumeret, quæ tamen finis, & perfectio omnium metallorum, mineraliumque rerum est? Ad hæc illi cum metallis nullam omnino communionem, vel amicitiam colunt, sed illa comburunt, confringunt, & corrumpunt illa, quo pacto igitur illa ad illorum correctionem inferuissent? Audi saltem, quid nimirum Richardus Anglicus cap. 10. hac de re dicat: Tenuia, inquit, Mineralia nulla fieri possunt metalla. Primo quod à prima Metallorum Materia, quæ est Mercurius, minime generentur. Quum vero illorum generatio, cum generatione Mercurij primum distincta est, idque in forma, materia, & coniunctione, itaque etiam nulla metalla ex illis fieri possunt: Siquidem unicæ alicuius rei prima Materia & semen est, ex qua illud nascitur. Quod autem dictum, id clare ex eo liquet, quoniam tenuiora Mineralia non ex Mercurio nata sunt, quemadmodum ex Aristotele & Avicenna liquet. Cum itaque ex illis metalla fieri debeant, tunc primum ad primam Materiam reducendi forent.

Cum vero illud nulla, qualicumque etiam, arte fieri

D

possit:

*De Mercurio & Sale  
extracto ad Agri vol.  
vid. Eiusl. part. 2.  
observat. pag. 237.  
238.*

*Vol. 2. Thesaur. Chym.  
pag. 422. 423. 426.*